



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

VI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO SEXTA.

- 7. Eis εαυτον δε ελθων ειπε.
- 7. In se autem reuersus, dixit.
- 7. Quumq; ad se rediisset, ait.

Græca.
Vulgata.
Syriaca.

ARGVMENTVM.

Ostendimus
hodie.

1. Quod notitia sui per suam excellentiam præseruet à peccato, & quod magni momenti res sit, homo ex sententia multorum.
2. Quod homo maximum quid sit propter similitudinem Dei.
3. Quod homo maximum quid sit propter glorificationem, per incarnationem filij Dei & redemptionem.

A V E.

I.

Quod notitia sui per suam excellentiam præseruet à peccato, & quod magni momenti res sit, homo, ex sententia multorum.



T neglectus ager, nihil nisi tribulos spinaque germinat: & domus inhabitata, paulatim carie exeditur, nihil fouens, præter araneas, ac serpentes, & yt equus quem non visitat crebro oculus domini macilentus prodit, ac male habitus, eodem modo conscientia, dilectissimi, lapidescit, si legitimum suum non habeat inhabitantem dominum, qui aliquando in cor, & intellectum iuum descendat, fouea fit latronum, antrum & spelunca peccatorum, iumentum intractabile ac indomitum, ac Deo suo durum. Contra vero sicut nullus ager adeo scruposus, adeo sterilis, quem colentis sudor ac industria in fertilem feracemque non trans-

E 5 mutat;

tat; sic nec conscientia adeo peccatis obfita, quæ crebra versatione, visitatione, examine, ac purgatione, de die in diem, ad frugem non transeat. Deo igitur gratia, quod *in se reuersus* sit noster Prodigus ad conscientia suæ examen, spero enim, quod ex hoc omnibus ipsum videbimus refertum bonis, ac Deo iuuante, emendatum totum, ò vtinam, illuc vsque solum magnos adducere possem peccatores, rem grandem omnino à me perfectam arbitraret, *est illi quo prodire tenus, si non datur ultra.*

Ex vno enim illo in se reuerti, & se agnoscere, tanquam ex fonte omnia bona profluunt, sicut contra ex sui ignorantia, & extra se peregrinatione, animo foris circa res externas circumgirante, & vago, infinitus maximorum malorum numerus.

Diuus Augustinus libr. de Trinit. initio] *Scientiam terrestrium, cælestiumque rerum magni estimare solet genus humanum: in qua profecto meliores sunt, qui huic scientia præponunt, nosse semetipsos: laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta vias siderum scrutatur, etiam cogniturus, aut qui iam cognitæ tenet, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam.*

Sed quando dico, oportet seipsum nosse, non intelligo solum peccata, paruitatem ac nullitatem propriam, sed & excellentiam & nobilitatem, aut naturæ, aut gratiæ, præcipue in anima.

Cicero i. Tusc.] *Quum nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum, nam corpus tuum quasi via est animi, aut aliquod receptaculum.*

Diuus Bernardus de considerat. ad Eugenium.] *Consideratio tui in tria quidem diuiditur. Si consideres, Quid, Quis, Qualis sis: Quid in natura; Quis in persona, Qualis in vita.*

S. Godefridus Episcopus Ambianensis, suos monachos Abbas hortabatur, vt tria illa semper adspicerent: Vnde,

Qua

Qua, Quoque. non Pythagora symbola, sed vita reli-
giosa capita nominabat.

Nic.] Monach. Hueszionen[sis]. in vita eius.

Hæc enim notitia erigit animum ad sublimia, &
ardua, & consideratio nobilitatis animæ Christia-
næ, sæpe Christianum detinet, ne impingat.

Macrobius libr. 1. in somnium scip. cap. 9.] Ani-
mus dum corpore vititur, hæc est perfecta sapientia: ut
unde orta sit, de quo fonte venerit, recognoscat, sic enim
anima virtutes ipsas conscientia nobilitatis, induitur:
quibus post corpus euecta, eo, unde descenderat, repor-
tatur: quia nec corporea sordescet, nec oneratur eluie,
qua puro ac leni fonte virtutum rigatur: nec deseruisse un-
quam cælum videtur, quod respectu & cogitationibus pos-
sidebat.

Nonne videmus, meminisse celso se loco natum,
ac clara parentela, nobilem sæpe frænare animum,
ne quidquam committat indecorum. Illa nobilis
marrona non minus amoris sentit igniculos, quam
vile aliquod abiectumque seruitium, cederetque
sæpe, sed memor generosi sanguinis, ac natalium
omnia ista (foris saltem) dedignatur, & non tan-
tum oscula auersatur & amplexus; sed nec leuiter
tangi se finit, nec chirothecas quidem, nec exti-
mam vestimenti fimbriam, sed repellit, in clamat-
que, si quis liberius eam tentet. miles aliquis nobi-
lis, fuso fugatoque exercitu, ac rebus ex sua parte
desperatis, effugium sibi facile videt, pernici fre-
tus equo, aut pedum fugacia superaturus, facile in-
sequentes. sed quid? recogitans, se eum esse qui est,
ijs oriundum atavis, capescet ne fugam? neuti-
quam, sed in media potius irruet arma, ac corpus
in certam iniicit perniciem, sub ipso potius cadit in-
signi, in ordine ac statione sua, quam vultu pavoris
villum det signum, neque terga ira dare, aut virtus pa-
titur.

Contra verna aliquis obscurus, ac rure natus, ma-
leq; institut^o, arma facile, zonamq; abijcit, fugit, cla-
mat-
Virg. 9.
Æneid.

1. Mach. 9.

matque maledictus postremus, & cum ignavo quodam Demosthene, ait: *vir fugiens pugnabit denuo*. Nobilis dicet, *vsque adeo mori miserum est?* imitatur potius Iudam Machabæum, virum strenuum, reprimentem fugæ suafores, hostium numero territos: *Ab istam rem facere, ut fugiamus ab eis: & si appropinquat tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloria nostra:*

Virg. 1.

Æneid.

Neue incepto desistere victum:

Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem!

Repugnabit potius omni conatu quam fugiat, sicut leo vndique cinctus, vndique impeditus, ventilat iubas, expedit arma, ostendit ungues, denudat dentes.

Virg. 12.

Æneid.

Pœnorum qualis in aruis,

Saucius ille graui venantum vulnere pectus,

Tum demum mouet arma leo, gaudetq; comantis.

Excutiens ceruice toros, fixumq; latronis

Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Vbi Seruius] *Hæc enim leonum est natura, ut nisi laeserint irasci nequeant.*

Quod si casu, aut robore superatus nobilis, alio factus sit inferior, nunquam fugæ suæ obliuiscitur ignominiam, semper illa ipsum mordet, semper affligit, ac tantum non extinguit. Cibum nimio respuit cædio, nec gladium iam curat, nec ornatum operans, dehiscente sorberi terra, vt tandem tam indigna absoluitur ignauia, ac egregie Turnum in simili infortunio repræsentat:

Virg. 10.

Æneid.

Et duplices cum voce manus ad sidera tendit;

Omnipotens genitor, tantum me crimine dignum

Duxisti, & taleis voluisti expendere pœnas?

Quo feror? unde abis? qua me fuga? quem ue reduret

Laurentisne iterum muros, aut castra videbo.

Quid manus illa virum, qui me meaq; arma secuti?

Quosq; nephas! omneis infanda in morte reliqui?

Et nunc palanteis video, gemitumq; cadentum

Accipio, quid agam? aut qua iam satis ima dehiscat

Terra mihi? vos o potius miserescite venti:

Inrupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
 Ferte ratem seuisq; vadis immittite Syrtis:
 Quo neq; me Rutuli, neq; conscia fama sequatur.
 Hac memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
 An sese mucrone ob tantum dedecus amens
 Induat, & crudum per costas exigat enssem:
 Fluctibus an iaciat medijs, & litora nando
 Curua petat, Teucrumq; iterum se reddat in arma.
 Ter conatus utramq; viam: ter maxima Iuno
 Continuit, iuuenemq; animi miserat a repressit.

Inglorius aliquis ac cinerarius, suam ridet fugam,
 nec erubescit magis quam frons lignea. Dicit spe-
 ciem aliquam esse securioris gloriae abesse à vulnere,
 latere post principia, ac cutem circumferre illasam.
 Vnde igitur in vno casu tanta illius erubescencia hu-
 ius nulla? inde solum quod alter illustria sua medita-
 tur incunabula, alter solas curat patinas. Alexander,
 quia Regis filium se recordabatur, cum alijs luctari
 noluit, quod Regum filij non essent. equus eiusdem
 Bucephalus phaleratus, armatusque solum sessorem
 admittebat Alexandrum, quia scilicet Regis se e-
 quum esse sentiebat. Dico itaque (dilectissimi) quod
 si studeamus cognoscere, vnde oriundi simus, qui si-
 mus per naturam & gratiam, quod Dei nascamur fi-
 lij, ipsius enim & genus sumus per creationem omnes,
 per adoptionem Christiani, qui non ex sanguinibus, ne-
 que ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex
 Deo nati sunt. Hinc animus nobis surget adeo excel-
 sus, vt omne dedignemur peccatum, indignitatem &
 vilitatem omnem, si autem in nostri semper hærea-
 mus ignorantia, nunquam propriæ speculatores
 excellentiæ, deueniemus (modo iam non deueneri-
 mus) & numerabimur inter profligatissima mûdi in-
 tererimenta nullis inidonei peccatis, nihil nobis vi-
 debitur indignum, hoc in canticis significari voluit
 sponsus, Cantic. 1. Si ignoras te, (formam tuam, origi-
 nem tuam, & pretium tuum,) o pulcherrima inter mu-
 lieres! (o anima rationalis, rerum omnium subluna-
 rium perfectissima) egredere & abi post vestigia gregum,
 & pa-

Et pasce hœdos tuos, (relicta vitæ ratio malis, & humanæ orbita, degenerabis in bestia, vitam viues brutorum, & per eorum itinera incedes nihil non sensuum voluptatibus indulgebis.)

Nonne idem Regius dicit Propheta: *homo, cuius honore esset, non intellexit, (propterea) comparatus iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Atque ideo inter preces, quas Deo offerimus, non postrema mihi videntur istæ, quibus gratiam petimus redeundi in nos ipsos, ac viuendi nobiscum.

4. Reg. Domine Deus meus reuertatur, obsecro, anima patri huius in viscera eius: ut anima aliquando nimis diuagata, rursus & incipiant in corpora belle reuerti.

© Dij reddite me mihi.

Psal. 50.] Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Eccles.] Concede perpetua mentis & corporis sanitate gaudere.

*Aeneid.
Catul.
Iob.*

Sed dicetis mihi? *quid est homo, quia magnificat eum.* homone igitur tanti pretij res est? Imo sane, imo millies verba mea superat. veteres Hebræi dicunt: quidquid vsquam desiderari potest in alijs creaturis, in homine solum inueniri; contractum ac collectum. Græci enim appellarunt *μικροκόσμον*, paruum mundum, tam ob pulchritudinem ac elegantiam, quam ob rerum omnium copiam, quæ non minus in illo inueniuntur, quam sparsim in toto vastoque vniuerso. Pythagoras illum appellauit mensuram & regulam creaturarum rerum. Aegyptij Deum esse dixerunt terrestrem, animal diuinum, Deorum internuncium, infimarum rerum Dominum, summis familiarem, miraculum naturæ. Magi Persarum vinculum, & neruum rerum omnium, & quasi Deum conjugalem mundi. Mercurius Trismegistus, miraculum mundi. Algazel Arabs dicit, esse epitomen & compendium totius mundi, sicut

sicuti tabula quædam, aut charta totius vniuersi. quidam etiam Abdela Sarracenus interrogatus, quid in hoc mundi amphitheatro, censeret maxime mirabile dixit hominem. Cicero, alicubi eum socium Deorum nominat, cognatum ex eius radice, ex eius familia. Ecce pretium hominis inter homines tam cæcos!

II.

Quod homo magni quid sit propter Dei similitudinem.

Ed scripturæ multo altiori gradu ipsum collocant, creatum enim dicunt ad imaginem & similitudinem Dei, nonnunquam non multum infra angelos, & Deum ipsum deprimunt. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum.* Quia ipsum vident assidentem, coronatum, circumfulum vndique honoribus: aliquando ad Dei nomen ipsum euehit. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Psal.

Videamus, si placet distinctius, vnde homo adeo sit admirabilis? pater id vel maxime in ipso orationismo, quo Deus vsus est. nunquid creatio eius ab alijs plane est diuersa? cum reliqua crearet, solum dixit Deus, & facta sunt. verbum illud edixit regium, *(fiat.)* Apparere tamen posset Philosopho cuiquam, Deus dicens: *fiat*, mandatum dare Angelis producendi res omnes, excepto homine, quasi declarans eos sufficientes ad minora quædam facienda, nec satis æquum diuinam maiestatem minimis rebus admouere manum, *nam non vacat exiguis rebus adesse Ioui*, nec summi artifices & architecti infima exequuntur: quamuis hoc reuera non acciderit. Solus enim Deus creare potest, ex phrasi tamen & loquendi modo tale quid videretur posse colligi, cum verbum illud, *fiat*, importet quasi quod

*Vide Greg.
Nyss. lib. de
opif. hom.
cap. 3.
Ouid. 21.
Trist.*

quod vna tantum persona rerum creationi se immiscuerit, nec multum antea expendens, in quem modum ista formaret, negligens quasi ac leuiter curans exiles istas reculas. Verum quando creationi hominis Deus operam dare cœpit, qui totius orbis dominabat imperio, deliberauit ante opus, & (vt ita loquamur) tres illi conueniunt ordines, ac ætate quasi Triumviratus conuocatur ad consilium. Præter proponit in huncmodum, *faciamus hominem imaginem nostram*. qui dicit, *faciamus*, videturne vobis esse solus? proponit sibi scopum tam arduum, creaturam scilicet regem totius orbis, ac cum iam præparatam habens electamque materiam, terram nimirum rubeam, quam ex Damasci campo assumpserat, corpus ex limo formauit. *Ex quouis non fit robore Mercurius*, non ex quolibet ligno telum tale, nec ex qualibet argilla talis testa. Sumpsit insuper selectum modulum ac formam, seipsum nimirum: *Faciamus ad imaginem & similitudinem nostram*. Tandem videns corpus retum, politum, tornatum, inspirauit ei animam, non simul creans vtrumque; sicut in animalibus reliquis vt ostenderet illam animam, non ex terra, aut alia elementaria substantia eductum, ac inde eum transtulit in paradysum terrestrem. Deus bone, quantum operis, à tanto operario, ad vnius hominis formationem!

Virgil. 1.

Æneid.

Ouid. 1.

Meta.

Tanta molis erat humanam condere gentem.

Sanctius his animal, mentisq; capaxius altæ.

Omnia hæc tanti magistri machinatio declarat, quale archetypon habuerit sub manibus, quale opificium. Corpus tam pulchre delineatum tot membris tam pulchre ac tanta harmonia coniunctis, vnum quodque suum habet officium, ac mysterium, vnum quodque suum locum, tam eleganti compositione vt abiectissima etiam membra iusto libro materia dare possint. sed remitto hæc ad Galenum & Lactantium Firmianum, qui librum de *opificio Dei*, aliosque qui hexamera sua his conscripserunt. Hoc cursum sufficet ex illis annotasse, quod solum humani co-

Galen. lib.

de usu par.

potentiam, Deus summe beatus est. sic & homo ab initio, iuxta statum in quo a Deo creatus est omnibus repletus bonis, quæ durante huius mundi decursu desiderare posset. Quod ut intelligatur notandum, quod Deus creauerit *hominem rectum*, ut loquitur ecclesiasticus. non enim satis erat Deo impliciter puram dedisse naturam, & quæ illuc spectant, sed superaddidit naturæ integritatem quandam perfectionem, qua sine difficultate appetitus pareretur rationi, ut equus freno ac nauis clauo. Ratio autem subiaceret Deo, ut principio primo ac fini ultimo naturali. Quid? necdum his contentus Deus, superaddidit originalem iustitiam, directionem ac subiectionem sub Deo supernaturalem, qua Deo pareretur, ut fini & supernaturali principio. quæ tam pacifice ac suauiter appetitum rationi substerneret, ut si homo peccare non vellet, nunquam hac regulatione ac præsidio excideret. & hoc intelligimus quando hominem dicimus in innocentia creatum, possedisse in illo statu tantam beatitudinem, quantam homo hic posset consequi. si autem conuertamus oculos ad habitaculum eius, Deus bone quam fuisse felix habuisset pro domo paradysum, pro mensa ac nutrimento, sine labore ac sudoribus omnes se obtulissent creaturæ. Nihil fuisset opus multo apparatu, sed continuo quasi parata *solis mensa*, omnibus onusta deliciis, teneris, nouiterque natis, quam inueniri in Æthiopia Pomponius Mela de situ orbis fabulatur. *Est locus* (dicit ille) *apparatus epulis semper refertus. & quia, uolunt, vesci uolentibus licet ἡλίου τράπεζαν* adpellant, & quæ passim adposita sunt, adfirmant in nasci subinde diuinitus. Columbæ iam coctæ iam assæ de cælo decidissent cum cultello sectorio & (ut aiunt) flumina exuberassent lacte & nectare.

Pomp.
Mel. lib. 3.
situ orbis
cap. 10.

Quid. Metam.] *Fruges tellus inarata ferebat
Nec renouatus ager gravidis canebat arstis.*

DE POENITENTIA PRODIGI. 33

*Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Fianaq; de viridi stillabant ilice n. ella.*

Quanta cum vitæ voluptas: ideoque, vt Philo re-
fert, vltimo Deus creauit hominem ne ipsum induce-
ret in aulam necdum præparatam, & famentē. *Tauri
mei & altaria occisa sunt, parata omnia, venite ad nuptias,*
dicitur alibi: si ad diuitias & omnem rerum copiam
respiciamus, quæ aut voluptati aut necessitati serui-
ant, *totus mundus diuitiarum*, vbi nihil desit, corpus
sine doloribus sine morbis, sine morte; spiritus sine
cupiditatibus, sine timore, sine suspitione; societas, v-
xor pulchra ac consentanea, *adiutoriū simile sibi*, An-
geli in visibili specie, aliquando ipse Deus. Quid est
Deo in beatitudine esse similem, si non hoc est? Cum
in hac lachrymarum valle ac misero exilio, ita ali-
quando obruamur bonis, vt hinc exire nolimus, nec
mundum paradyso mutare. veniamus ad Dominium.
Deus summus omnium Dominus est. Aliquo modo
etiam homo. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, &
boves: vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli &
piscis maris, qui perambulant semitas maris, Præsit pisci-
bus maris & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersis terra
omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Quamprimum
creatus fuit constitutus est præfectus maris, rex terræ,
præles omnium, prorex mundi, quaquauerfus in
longum ac latum extenditur. Non vt nostri reges
qui pugillum terræ tenent, vere Reguli si intellige-
rent chartacei. Nullum adeo ferum animal quod ip-
si non obediat, ac aduletur. Adam & Eua ludere po-
tissent cum Tigribus, Leonibus, vt vos modo do-
micellæ facitis cum vestris catellis. Possemus & nos
idem hodie, nisi eheu interuenisset peccatum Adæ;
ac recuperare facile nostrum hoc Dominium, si
diligenter laboraremus ac anniteremur, ad primam
cum Dei gratia innocentiam. S. Noster Franciscus
nonne in possessionem restitutus est, & per sancti-
tatis viam bestiis imperauit? Refert Historia ec-
clesiastica Leenam speluncam habitasse S. Ma-
carij tugurio vicinam; quæ in recompensam
F 2 (quod

*Philo lib.
de mun. o-
pif. &
Chryf.*

*Psal. 8.
Genes. 1.*

*Ruff. lib. 11.
hist. Eccl.
cap. 4.*

(quod sanctus catulos ipsius cæcos precibus illuminasset) arietum pelles & vellera de venatu suo, cum magno numero deferebat, quasi in præmium medicationis. & Iohannes Climacus de monacho quodam Stephano narrat, quod adeo ad primum accesserit innocentiam, ieiunijs, lachrymis, orationibus, alijsque virtutibus, quibus se in solitudine exercebat, vt Leopardum (animal aliquoties immitissimum) tanquam scætellum cicuraret. Iam & nos, magnos quantumlibet peccatores, fortissima ac efferatissima etiam animalia, primo statim occurso pauescunt, exterrentur aspectu, quod ex signaculo & caractere illo accidit, quem Deus nobis impressit, quem Antiqui Cabalistsæ Perat lingua Hebraica nominarunt, quo roboratus Adam ac insignitus, sine periculo inter belluas verteretur. ac cum bestia minime tractabiles in hominem insurgant, domat tamen eas mente ac ingenio, finemque suum & scopum attingit, *Ingenium superat vires.* Omnes denique creaturæ ad hominis ministerium deputatæ sunt, summæ, infimæ, mediæ: Ipsi etiam Angeli non tantum Deo, sed & hominibus seruiunt.

Psal. 102.

Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, vel vt eos ducant vt Tobiam, vel vt instituant, legationesq; Dei ad ipsos obeant, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius. Sicut ad B. Virginem, aut ad subsidium, *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos.* aut vt curam eorum gerant, gestantes vos in vlnis, vt filij eiusdem familiæ fraterculos suos, cauentes ne cadant in ignem, in aquam. *Angelis suis Deus mandauit de se vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Psal. 90.

*D. Hieron.
lib. 3. com.
ment. in
Matth.*

Clarius hoc ipsum videre vultis, magna (inquit Hieronymus) magna dignitas animarum, vt vnique habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui, angelum delegatum, certe si Angeli ministri non sunt, quia ordinari nobiliora & perfectiora minoribus

non seruiunt: homo tamen ipsis adeo charus ac honoratus est, vt ipsi per omnia non minus prompte subueniant, quam si vere ministri ipsius essent, *maior seruet minori.*

Venio ad omnipotentiam. Deus omnipotens est, Creator cœli & terræ, Homo per Dei gratiam (rem fide maiorem) habet nescio quam omnipotentiam, Arte naturam ita dextre æmulatus, vt opera non imitamentum aliquod, sed res ipsæ videantur. Deus creauit hominem, & homo quotidie producit hominem. *Homo hominem generat & Sol;* Deus ex argilla suis manibus effinxit hominem? faciunt & hoc homines plastæ quotidie ac statuarij ex testa, marmore, alabastro, ligno, fusiles, tornatiles, sculptiles, quales quondam Lysippus Alexandri statuarius. *Viuos ducunt de marmore vultus. Virg. 6. Æneid.*

Qualis Praxiteles, tantus in marmore artifex, vt quidam sculpsit venerem adeo ad viuum, vt iuuenis quidam eius amore captus, impudicitia signa in ipsa relinqueret.

Quintilianus.] *Praxiteles, cuius muliebris imago procacem impulit ad coitum iuuenem.*

Talis & Pigmaleon, qui ex ebore aliquando tam speciosam efformauit statuam, vt ipsemet hostis alioquin & osor fœminarum, in eam decideit amentiam, vt eam amplexaretur, alloqueretur, suauia ret, donaret annulos, torques, in aures, deponeret in lectum tanquam vxorem.

Quid. lib. 10. Metam.] *Niueum mirâ feliciter arte*

Sculpsit ebur, formamq; dedit, quâ fœmina nasci

Nulla potest, operisque sui concepit amorem.

Virginis est vera facies, quàm viuere credas

Et si non obstet reuerentia, velle moueri,

Ars adeo latet: arte sua miratur, & haurit

Pictore Pygmalion simulati corporis ignes.

Et paulo post.] *Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo:*

*Aure leues bacca, redimicula pectore pendent,
Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis,
Appellat q̄, thori sociam, asclinataq; colla
Mollibus in plumis tanquam censura reponit.*

Transeo Leontium qui aliquando puerum sculpsit claudicantem, cuius ulcerum dolorem spectatores sentire videbantur. Item quod quidam Heracleæ in Peloponneso equum formaret, cauda deformem & accisum, cætera ita viuum vt equi alii illi adhinnirent & assilirent tanquam viuenti, vt refert Pausanias Historicus.

Quid dicam de picturis planis? quæ naturam tantopere imitantur, vt hominibus ab Apelle pictis anima tantum videretur deesse vt loquerentur, Phidie piscibus aqua vt natarent, Zeuxis visus sapor vt ederetur, Muscis vestri lanin de Maubeuge, motus tantum ad volandum. Dicitur Apelles 10. annis vnâ studiofissime elaborasse Venerem, atq; ad eam eduxisse pulchritudinem, vt iuniores aspectu eius detenti, non minus quam puellæ alicuius viuæ aspectu illaquearentur adeo vt publico edicto iussus sit eam clam habere, ne iuuentutem corrumpere. Sed hæc in anima sunt corpora, inquiet aliquis? Fuerunt etiam qui modum inuenerunt inanimata ista animandi. Dicitur Dædalus ligneam fabricasse Venerem, quæ viuo repleto argento, tanquam viuâ se motitabat: Archytas columbam ita librata, ac aura ita contemperata plenam, & figuris ac proportionibus Mathematicis compositam, vt per interualla sicut vera columba euolaret. Albertus formasse dicitur caput æneû quod voces formabat articulas, quasi intus inclusam habuisset rationalem animam.

*Aul. Gell.
lib. 10. c. 12.*

*Ex Suida,
Seruio &
Iulio Pomp.*

Theodoricus Rex Ep. ad Boëtium] *Æneus anguis insibilat, anes simulare frinnunt, & que vocem propriam nesciunt habere dulcedinem probantur emittere cantilena.*

Deus tonat ac fulminat, faciunt & homines, & aut.

ad lib. 6.
Æneid. &
aliis.

nunquam magis quam iam Salmonius rex Theſſaliæ
non contentus olim regio honore, Deus videri vo-
luit, quo vt pertingeret in Elide ciuitate quadam ſua,
iuxta montem Olympi, pontem ſtruxit altiſſimum,
regentem magnam ciuitatis patrem. per illum currus
agebat rotaſq; equos bene ſufferratos, vt ſic ſtrepi-
tum Iouis tonantis imitaretur, & in quemcun-
quædam iacularetur incenſam, illum mandabat ob-
truncari, vt ſic & fulmina repræſentaret cœleſtia, &
perſuaderet ſua vulnera non minus quam Iouis eſſe
lethalia. verum exemplar ſuperbi principis, qui &
premiũ accepit, iuſte tandem de cœlo fulminatus:
non enim hic ſuperbam laudamus intentionem, ſed
ſolum ingenioſam inuentionem.

Virgil. 6. Æneid.] *Vidi & crudeleis dantem Salmonæa
penas,*

*Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans,
Per Graiũm populos, mediaque per Elidis urbem.
(in qua ipſe Iupiter præcipuè colebatur.)
Ibat ouans, Diuimque ſibi poſcebat honorem,
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen,
Ære, & cornipedum curſu ſimularat equorum.*

Et quid obſecro tonitruũ ac fulmini cœleſti æque
ſimile, ac tormenta noſtra bellica ignem vomentia
fulmineum, ſternentia quæquid obuium, ſtrepentia
ac mugientia vt tonitru? Ah quod iſtorum inuentor
execrabilis fulmine de cœlo ictus non ſit, cum Sal-
moneo, nunquam enim cœleſtia fulmina tantum ho-
minibus ac ciuitatibus quantum iſta nocuerunt: res
interim iſtæ diuina hominum ingenia ac omni-
potentiæ ſimilitudinem pulchre declarant.

Inſuper Deus omnia videt, ſub pedibus, throno ſe
non mouent. ſimile quid imitatus eſt Rex Perſarum,
* Sapor ni fallor qui machinam ſtruxit vitream, eius
magnitudinis vt in centro eius ſedens, tanquam in
ſphæra ac corbe, aſtra videret ſurgentia cadentia, ad-
co vt mortalis omnem ſublinitatem, ac immortali-
tatem attingiſſe videretur.

* al. Sabot.

Quid homo diuinius concipere potest, quam Regem mundi Dominum, post terræ ac maris possessionem, astra ac cælos & diuinum domicilium obsidentem.

Theodoricus Rex Ep. ad Boetium] *Hæc fecit secundum solem in Archimedis sphaera decurrere, hæc alterum Zodiacum circulum humano consilio fabricauit, hæc laenam defectuoso suo reparabilem artis, illuminatione monstrauit, paruamq; machinam grauidam mundo, cælum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ ad spaciem atheris indeprehensibili mobilitate volutauit.*

Deus montes de loco in locum potest transfere, deprimere excelsa, vallesq; eleuare. Archimedes Syraculanus, iuxta Plutarchum, tantus fuit artifex ut

Plutarch. in Marcel. to. i. vit. Hic vel Deus terrenus, mechanico artificio sphaeram vitream fecit, in qua mira conuersione dissimiles motus circolorum visebantur. Claud. Percurrit, proprium mentitus signifer annum, Et simulata nouo, Cynthia mentis se redit.

fretus demonstrationibus suis, apud Hieronem Regem cognatum sibi, sponderet si in mundo aliqua terra aut vacuum daretur satis magnum, quod illuc translatus totam ad se traheret continentem quam ambulamus. Christus Iesus promisit etiam suis si fidem haberent, ut granum sinapis, dicerent monti transfer te in mare, nec fore mandatum irritum. Accidisse hæc inuenimus S. Gregorio Episcopo Neocæsariensi: sed omitto miracula, de natura tantum acturus & industria humana. Archimedes ut specimen daret promissi, ad instantiam eiusdem Hieronis Regis opus effecit admodum mirabile. solus enim vnica manu ansam ac manubrium arripiens machinæ sine multa vi, nauem regiam hominibus ac mercibus onustam facillime ad se promouit, quam exoneratam multi homines non nisi cum maximo labore in mare retraherent, idque ipse non secus quam si catellum loro duxisset. quod idem Baptista Leo, magnus nostri temporis Architectus, si regum quis sumptum facere velit, efficere promittit. Deus potuit in aëre aquam ac terram sine fulcris suspendere. *Quando librabat fontes aquarum: qui fundasti terram super stabilitatem suam. Prouerb. 8.* Imitatus est idem homo suspendens cupidinem aeneum in templo Dianæ, sine catenis, sine funibus

bus, ut Rex Theodoricus docto scribit Boëtio, & Mahometani similiter, ferreum Mahometis loculum, inter magnetes medios in quodam suo templo pensilem librarunt. Deus ubique necessario adest. *Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum ades:*

Nec hoc potentiam omnino excedit humanam, secundum modum aliquem. Mercurius Trismegistus dignitatem hominis describens, ac celeritatem spiritus plane diuinam, hoc modo Tatium filium suum alloquitur: Quid esse te putas? quem thesaurum membris tuis contineri? Præcipe animæ tuæ, ut Oceanum transeat iam dicto citius ibi fuerit, loco tamen non emota. *Ambulat super pennas ventorum, & Ouid. fulminis ocior alis.* Præcipe, ut in caelum euolet, iam sine alis illuc euolarit, non habitura vllum obstaculum, non solis ardorem, non aeris spatia, non caelorum cursus, ac reuolutiones, penetrat omnia, *gratia Ouid. I. Dis animo quolibet ire licet, dicit quidam veterum. Arnob. in prima qua maior pars est, hominis conuersatio est in caelis, Psal. 76.* dicit Arnobius.

Deus remittere potest peccata? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Possunt idem & homines, sacerdotes nimirum, ministri Dei. *Quorum remisertis peccata, remittuntur eis, ac, praeceps sententia Petri, sententiam caeli, ut Petri decretum prius sit, vltima caelestis parlamenti sententia, quæ nunquam illam reprobabat aut irritat.* Angelis hæc potestas non est: quid igitur restat, cur hominem non appellemus Deum, aut perfectissimam Dei imaginem, & per consequens creaturam excellentissimam. *Magni diuini opus Alci-medontis.*

III.

Quod homo maximi pretij res sit, propter glorificationem per incarnationem filij Dei ac redemptionem.

AD hæc quis ignorat beneficia gratiæ & gloriæ (quæ quidam participant semper; quidam, pro

tempore solum, boni scilicet & mali; quidam, ut solum boni, possident perpetuo) hominem reddere magis spectabilem (ac prope angelis adorandum) quam beneficia naturæ, incomparabilis omnium hominum gloria est, bonorum ac malorum, pro omni tempore, quod Dei filius naturam ipsorum assumpserit, fecerat quasi ac compar ipsorum factus. *Nuntiate fratribus*

Matth. 18.

meis, dicit in Euangelio, ac per incarnationem istam fecit, ut homo exinde familiarius ad Deum posset accedere, liberius cum maiestate ipsius agere, cum minore etiam circumspeditione quam Angeli. Angeli enim nunquam cum Deo agere possunt, nisi vi famali, recognoscentes semper summum suum dominum, & hoc cum timore & tremore. *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* sed homines non in ista solum conditione, sed similitudine tanquam proxime accedentes (quid enim fratre propinquius) & hoc quia homo factus est, sicut & nos, & totus nobis similis sine peccato, os nostrum, & caro nostra, *frater enim, & caro nostra es.* Adeo ut dicere possimus Dei filio, quod Adam uxori cum dormiret, ex se efformata.

Gen. 37.

Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Angelus autem nunquam factus est. *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit,* & quando ipsum oramus, ut nobis sit mediator, id est, officio suo fungatur pro nobis ad patrem, possumus eadem oratione ipsum compellere, qua Abraham uxorem, cum gladium declinare vellet Ægyptium.

Heb. 2.

Dic, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene mihi sit, propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.

Gen. 12.

Gen. 1.

Dic o mediator noster, dic animarum nostrarum sponse dilectissime, dic patri tuo, quod frater noster sis, ut bene sit fratribus tuis propter te, & ne irascatur, quod preces tuæ sint instantes, non enim videtur, frater pro fratre vnquam posse orare nimium. Et si forte nostris peccatis offensus sit, nobis hic mediator magna familiaritate possumus ipsi reconciliari, ac redire in gratiam per suauem fraterni-

penitentis nomen, ac dicere, quod olim Abrahamus ad Loth: *ne queso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus.* Quo privilegio nunquam uti possunt Angeli, ad mediatorem nostrum, & restauratorem communem. Hoc tunc igitur dilectissimi paruum est, quod hac incarnatione acquisivimus?

Quid dico? propter incarnationem hanc Angeli magis nostram, quam suam mirantur naturam: vident enim eam cum Deo suo personali unione coniunctam, sedentem supra se à dextris Dei patris: cui curvare debent genua, à quo iudicabuntur. *Nescitis, quia Angelos iudicabimus?*

Divus Chrysostronus serm. de ascensione Domini tom. 3. *super hac omnia natura nostra eleuata est, ut homo qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsum sedem eleuaretur, ut altius non posset ascendere.*

Nec tantum *θεῶν θεωροῦν* supra se vident, sed personam aliquam mere humanam, nec eam quidem nobilitatis sexus, sed inferioris. Virginem pariter & matrem Dei eleuatam in cælo, supra ipsorum choros, propter dignitatem maternitatis suæ. Incarnatio denique hæc tantum nos in altum & adauxit, ut quamuis Christus non proprie dicatur redemptor Angelorum, sed solum restaurator, gloriari tamen possimus inter Angelos, quod hæc ipsorum restauratio, sine nobis esse non potuerit: sine Christo Iesu, scilicet, Deo ac homine.

Nostra vero redemptio, per nos facta est, (per hominem scilicet nostræ naturæ,) sine ipsis: ipsi enim nihil proprie contulerunt, nisi solum internuntiata quædam, ac intercessionem, & similia. Si CHRISTVS IESVS nihil egisset ultra, quam quod natus in mundo exhibuisset se, & conuersatus fuisset nobiscum triginta tribus annis & diebus, quibus vixit. *In terris visus est, & cum homi-*

Baruch.

homi-

Scot. in 3.
dist. 7. q. 3.

hominibus conuersatus est, reascendens in cœlum, nihil pro redemptione nostra passus. Nam ut sentit doctor noster subtilis, etiam si Adam nunquam peccasset, incarnatus equidem fuisset, sed impassibilis (cui sententiæ accederem & ego, tanquam subtilior, nec perati contrariæ, nec benignitati diuinæ, qua adeo exhibuit liberalem, ad redemptionem nostram, non solum ad glorificationem Christi Iesu, sed & sine Adæ peccato factus fuisset homo, sine defectibus, sine passibilitate, sine subiectione mortis; superueniente autem peccato venit quidem peragere glorificationem prædestinatam, sed cum alio plane apparatu, quam alioquin non erat habiturus, miserabilis scilicet, sicut nos, pro nobis subditus morti) si inquam, pro nostra natura nihil fecisset aliud, quam quod natus fuisset homo, ac postmodum reuersus fuisset nihil passus; debuissimus ipsi tamen quam plurimum, pro tanto nobilitatis additamento, quod scilicet hominem fecisset Deum, ac ita illum sociasset, semper secum permanens. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, dicit Iohannes Damascenus, tam caram habuit miseram nostram naturam: *delicia mea, esse cum filiis hominum*. Si homo magnificat, quod Rex pauperibus se iungat, aut nobilis alicuius minoris ædes addeat humiles ac ignotas: si inter cætera ordini nostro facta à Deo beneficia, calculo notemus cædido, quod Reges nonnulli post tractata sceptrâ, quod filij & filiarum Regum nati, saltem ad regna abiectis coronis, ac sceptrorum spe, habitum hunc sumplerint gystem, contemptum, hunc pœnitentiæ saccum fratres facti minoritis fraterculis, inter quos de medio grege nonnulli (& quid ni tanto numero:) Si Societas B. Patris Ignatij de Loiola vehementer extollit, & inter celebria suæ societatis bono iure computat, quod Franciscus Borgia, Dux Candia, istius nominis quartus, aliquando se sociauerit ipsis, ac post ingressum societatis, tertius ipsorum sit factus Generalis. Vel si Rex aliquis exhilarare se volens, cum mediæ fortunæ ciuibus, abiecto sceptro purpura, diademate, vestitus

And Scot.
lib. 1. vita
eius, c. 1.

larua

Iaratusque ciuiler, saltet cum ipsis: viderentur enim ciues isti, rationem habere magnæ iactantiæ, ac magnifice de se sentiendi, quod Rex ipsis permixtus ad pauculas horas ita conuixerit. At quem honorem opinari debemus, nobis habitum à Deo, quod homo nobis similis factus sit, abijciens quasi & annihilans magnitudinem suam immensurabilem, (*exinaniuit semetipsum*) personatus nostra humanitate, *habitu inuentus ut homo*, triginta tribus plus minus annis nobiscum diuersatus? O nobilitatem nostræ naturæ, ab illa demum hora! Deo sumus sociati, eius sumus affines, cognati, fratres; homo deificatus est. Hoccine tibi parum: qui terræ antea eras vermiculus: sed nec ibi substitit bonus Dominus. Multo te fecit digniorem, quia te perditum tam care redemit, *non corruptibilibus auro vel argento*, lytris ordinarijs etiam magnorum Regum, sed pretioso sanguine, vita, ac seipso: ô lytrum incomparabile, pro vermiculo terræ, vt te seruitute liberaret, seruus pro te factus est! *Formam serui accipiens*, dicit S. Paulus: *Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

Ma.] *Vere languores nostros ipse tulit.*

Idem.] *Disciplina pacis nostræ super humerum eius.*

Psal.] *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.*

Vt tua redimeret debita, ipse exutus est, *quæ non rapui, tunc exsoluebam*, vt tuam seruaret vitâ, tam turpem, tam lentam, tam grauem, quam nosti sustinuit mortem, vt te cruci eriperet, debitisque supplicijs, ipse in crucem sublatus ac suffixus est, vt latronum Princeps inrer latrones, vt tibi Paradisum restitueret, pœnas aboleuit mille infernorum, ac mortuus est, ad inferos descendit. In summa, se pro te dedit, Deum pro homine. *Tradidit semetipsum pro me*, vnum pro omnibus, *expedit vnum hominem mori pro populo*, (verum quidem) *vnum pro multis datur caput*. Sed etiam pro vno, si enim vnus homo fuisset recuperandus, æque pro vno se tradidisset, *empti igitur estis precio magno*. Qui videre volet, quid vnus homo valeat, eat ad dominicæ passionis æquilibrium, eat solum, videbit ibi sine fraude

fraude, videbit Deum in lance vna, hominem qua
 correspondens pondus in lance altera, videbit quod
 vt hominem solum reciperet, Deus se tradiderit, vt
 hominem saluaret, Deus se perdidit. O miram ho-
 minis nobilitatem! O ineffabilem Dei bonitatem!
 Quis est Rex, qui pro gregario milite seipsum daret
 lytrum? imo quis est Rex, qui exire de captiuitate
 velit permutatus simplici milite? si tamen hoc au-
 illud fiat, nonne tanti faciamus commutatitium mi-
 litem, quam Regem? quis dubitat? Cum igitur Deus
 se det pro homine, homo cum Deo eiusdem apparet
 valoris, tanti res valet, quanti emitur. Ecce equum
 dicimus, scutorum quingentorum: infero statim, o-
 portet hunc gradarium esse Neapolitanum, aut ge-
 nerosum sane caballum, dignum qui expuncto Ba-
 cephalo seruiat Alexandro. Ecce pannum aiunt ho-
 mines coronatorum quatuor, infero statim, melio-
 ris igitur notæ est, maxime si emptor monetæ ac mer-
 cium habeat notitiam: alioquin enim, vt gallus de
 gemma in sterquilinio inuenta, quam grano tritici
 postponit, censeret. sed ecce, fides nos docet, quod
 pro homine Deus se dedit, & certissimum est, quod
 Deus hominem ita care redimens, & valorem pretij
 & rei emptæ pernouerit. Concludendum igitur ho-
 minem inæstimabilis esse pretij, cum Deus quicquid
 habet, & seipsum pro eo dedit. *Inuenta vna pretio-
 sa margarita, dedit negotiator omnia sua, & comparauit
 eam.*

Hoc insuper maiorem mihi adfert stuporem
 quod cum homo deliquerit, & Angelus, Angelus et-
 iam in paucioribus, semel enim tantum offendit, ho-
 mo sæpius etiam post peccatum originale, Angelus
 cogitatione solum & consensu, homo etiam opera-
 tione & affectu: redimere nihilominus voluerit ho-
 minem, & extrahere de barathro, quo se præcipita-
 rat. O Deus quam inscrutabilia sunt iudicia tua, & in-
 inuestigabiles viæ tuæ, maxime nobis homuncioni-
 bus. Denique vt nihil dicam de intima per sanctam
 communionem conjunctione, dico summo iure, no-
 titiam

titiam nostri & nostræ excellentiæ efficacissimum esse, vt nos frangat & custodiat à peccatis, & vt erigat, quando cecidimus. Concludam igitur aureis S. Leonis verbis:

D. Leo sermone 10. de Natiuit. Domini.] *Agnosce Christiane, dignitatem tuam, & diuina consors factus nature, noli in veterem vilitatem, degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quod sis erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.*

Psal. 44.] *Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede & regna.*

Iob 5.] *Visitans speciem tuam non peccabis.*



CON-